



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

12. In excelsa, &c. Quâ Oppidum Pontis Curvi, seû Fregellarum in
Provincia Romana, Civitatis titulo, ac honore insignitur, ejusque Collegiata
Ecclesia S. Bartholomei in Cathedralem erigitur, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

1725.

legiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, notari, & impugnari, invalidari, retractari, in jus vel contro-versiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, vel adversùs illas restitutionis in integrum, aperiçionis oris, aut aliud quodcumque Juris, facti vel gratiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concessio, aut impetrato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentès literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum plenissimè suffragari, & ab eis respectivè ininvocabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quæcumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatà eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus, super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca eidem moderno, ac pro tempore existenti Episcopo Casenaten. per præsentès motu pari committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios præsentès literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, solemniter publicans, dictoque Seminario in eisdem præmissis efficacis defensionis præsidio assistens faciat auctoritate nostrâ Seminarium præfatum præsentium literarum, & in eis contentorum hujusmodi commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permitteus illud desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque oportuna Juris, & facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij secularis: Ipsi moderno Episcopo serid insuper injungentes, ut postquam Ecclesiarum, & locorum piorum Civitatis, & Diœcesis prædictorum visitationem peregerit, reliquorum locorum piorum earundem Civitatis, & Diœcesis statum in compendium redactum ad Nos quamprimum diligenter transmittat, ut singulorum redditibus perpensis, ratam portionem à quolibet eorum dicto Seminario annuatim conferendam, & solvendam, maturâ consultatione adhibita definire, & taxare valeamus, quemadmodum de supra dictæ Congregationis Cardinalium assensu pro prædicto Seminario Syontin. Nos olim fecisse meminimus. Non obstant. præmissis, ac quatenus opus sit, de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, & aliis nostris, & Cancellariæ Apostolicæ Regulis, nec non Lateranen. Concilii novissimè celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus à Jure permisis fieri prohiben., aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non Confraternitatum, & Conventus hujusmodi, illiusque Ordinis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Confraternitatibus, Conventui, & Ordini, eorumque Fratibus, & personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in ge-

tere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ inserti forent præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 30. Maij. 1725. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

30. Maij
1725.

Quâ Oppidum Pontis Curvi, seu Fregellarum in Provincia Romana, Civitatis titulo, ac honore insignitur, ejusque Collegiata Ecclesia S. Bartholomæi in Cathedralè erigitur, & Cathedrali Ecclesiæ Aquinati æquè principaliter in perpetuum unitur, cum aliis ordinationibus, & clausulis, ac derogationibus opportunis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IN excelsa Sedis Apostolicæ specula, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem illius, cujus est terra, & plenitudo ejus, clementiam constituti, levamus jugiter in circuitu Agri Domini mentis nostræ oculos, pervigilis more Pastoris inspecturi, quid Provinciarum, & locorum quorumlibet statui conveniat, quidve operis ad promovendum ubique spirituale Christianissimum bonum impendi debeat. Dignum verò Pontificia nostra sollicitudine in primis arbitramur, & iustum, ut ad ea, quæ Ecclesiarum quarumcumque decorem, & amplitudinem, Divinique cultus incrementum respiciunt: quæque simul Oppidorum illustrium, ac eorum præsertim, quæ Romani Pontificis etiam temporali dominio subiecta sunt, splendidiori ornamento conducere, & populis erga Nos, eandemque Sedem fide, ac devotione præstantibus peculiatem consolationem afferre possunt, studia, curasque nostras libenter convertamus, nostrique Pastoralis Officii partes propensa charitate desuper interponamus, pro ut pia eorumdem populorum vota postulant, & Nos, matura abhibita consultatione, cognoscerimus in Domino salubriter expedire.

Cum itaque, sicuti pro parte dilectorum filiorum Capituli, & Canonicorum Secularis, & Collegiatae Ecclesiæ S. Bartholomæi, necnon Universitatis, & Populi Oppidi nostri Pontis Curvi Aquinatis Diœcesis in Provincia Romana, nuper expositum Nobis fuit, idem Oppidum inter alia illarum partium insigne, & antiquitatis gloria percelebre, quippe quod ex ruinis veterum Fregellarum (clarè olim in Latio Urbis) fuisse conditum existimatur, conspicua habitatorum, incolarumque multitudine, benedicente Domino, refertum existat: ac septem Parochialibus Ecclesiis, quarum tres sunt Collegiatae congruo Canonicorum numero instructæ, pluribus diversorum Ordinum Virorum, atque Mulierum Cœnobitis, quatuor Confraternitatibus Laicorum, duobus Hospitalibus, Monte pietatis pro subsidio pauperum, Commenda Equitum Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, multis nobilibus ædificiis, & non paucis familiis honestissimis decoretur, ac ultra Pagum Sanctæ Olivæ nuncupatum sibi suppositum, amplum, atque fructiferum habeat territorium, quod ad triginta circiter millia extenditur, retroactis verò temporibus plures in lucem ediderit sacros Præfules, & alios vitæ sanctimonia, optimarum disciplinarum cultu, & militari etiam

lande

1725.

laude illustres Viros, adeoque à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris non specialibus modò gratis, & beneficiis ornari, sed Civitatis quoque titulo aliquandò appellari meruerit: Præterea, cum Episcopi Aquinates ob cœli insalubritatem, & Dominus Episcopalis defectum, apud suam Cathedralē Ecclesiam, quæ ceteroquin unum Archipresbyterum cum sex tantum Canonicis habet, residere non possint, ab antiquo tempore jugiter in ante dicto Oppido Pontis Curvi resideant, & in memorata Ecclesia S. Bartholomæi nobilis, & amplæ structuræ, ubi Archipresbyter, qui est unica Dignitas, Canonicus Theologus, & decem alii adsunt Canonici, Divinis Officiis more Cathedralium inservientes, Cathedralē fixam tenere, Sacra Olea conficere, Ordines conferre, & functiones Pontificales, quæ ex Tridentini Concilii præscripto in Cathedralibus Ecclesiis peragi debent, decenter exercere ab antiquo etiam tempore consueverint: In eadem insuper Collegiata Ecclesia honorificè asservetur, & peculiari fidelium veneratione colatur sacrum Corpus S. Grimoaldi Confessoris, ipsius Ecclesiæ olim Archipresbyteri, & Concivis, cuius nomen in Martyrologio Romano descriptum est: Ad hæc in præfato Oppido speciosum extet Episcopium à moderno Episcopo propriis sumptibus cum Curia, & Archivio constructum, ubi Episcopus, & illius Vicarius in spiritualibus generalis habitare possunt, & solent; eidemque Palatio conjuncta conspiciantur duo satis ampla ædificia, quorum alterum pro Monte pietatis destinatum est, alterum verò usui Seminarii inservit, in quo plures Alumni ex universa Diocesi delecti, & Convictores etiam non pauci probè educantur, & ab idoneis Præceptoribus iis accuratè instituuntur disciplinis, quas Tridentinum Concilium in Seminariis Ecclesiasticis tradi mandat: Ac propterea Capitulum, & Canonici, Universitas, & Populus antedicti Oppidum Pontis Curvi, & Collegiatam Ecclesiam S. Bartholomæi hujusmodi dignioribus titulis augeri summo perè exoptent, Nobisque humiliter supplicaverint, ut dictum Oppidum in Civitatem, & dictam Collegiatam Ecclesiam in Cathedralē erigere de beniguitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur præmissorum omnium, & singulorum plenam, certamque notitiam habentes, & Capitulo, Canonicis, Universitati, & Populo prædictis, quos ob spectatam in Nos ac Sanctam Sedem devotionem, & fidem paterna charitate diligimus, specialem gratiam facere, necnon Venerabilem Fratrem Josephum modernum Episcopum Aquinatem, quem propter egregiam ejus in Ecclesiam Aquinatem, dictumque Oppidum promerita, & signanter quòd ibidem Palatium Episcopale, ut præfertur, ac Seminarium, & Montem pietatis, novamque etiam Cathedralē Aquini, loco veteris collapsæ (quam in minoribus constituti jam collabentem propriis oculis dolenter inspeximus) ædificanda curaverit, ac insuper Episcopalis Mensæ proventus multipliciter auxerit, Archiepiscopi Tyanensis titulo nuperrimè insignimus, benigno, & grato favore prosequi volentes, omnibusque, & singulis præmissis Nobis, ut præfertur, expositis, pro verificatis, & justificatis habentes, Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine, Oppidum præfatum in Civitatem Pontis Curvi deinceps nuncupandam cum omnibus juribus, prærogativis, honoribus, & præminentis, quibus aliæ Civitates, earumque Cives utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum: & Secularem Collegiatam Ecclesiam S. Bartholomæi hujusmodi in Cathedralē sub eadem invocatione, & in ea Sedem Episcopalem pro Episcopo Aquini, & Pontis Curvi, seu Fregellarum conjunctim etiam nuncupando, qui in illa, & Civitate prædicta omnia, & singula, quæ Ordinis, & jurisdictionis, ac cuiuscumque alterius muneris Episcopalis sunt, exerceat;

necnon cum omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, indulgiis, & gratiis, quibus aliæ Cathedralē Ecclesiæ, earumque Præsules de jure, vel consuetudine, aut aliis quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac ipsius S. Bartholomæi honorem, & Christianifidelium devotionis augmentum, tenore præsentium perpetuò erigimus, & institimus, illaque sic erectas, & institutas, necnon Episcopum pro tempore existentem, ac ipsius Ecclesiæ Capitulum, Sedi Apostolicæ immediatè etiam perpetuò subjicimus, & sub peculiari Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum protectione suscipimus.

Præterea motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus Cathedralē Ecclesiam S. Bartholomæi Pontis Curvi hujusmodi antiquæ Cathedrali Ecclesiæ Aquinati æquè principaliter perpetuò unimus, itaut in posterum eadem Ecclesia S. Bartholomæi Pontis Curvi Concathedralis cum Ecclesia Aquinate sit, ac esse debeat, & Episcopus pro tempore existens, Episcopus Aquinas, & Pontis Curvi, seu Fregellarum conjunctim esse, & nominari debeat, nec non in actibus Consistorialibus, ac in Literis Apostolicis super promotione novi Episcopi ad prædictas Aquinatem, & Pontis Curvi, seu Fregellarum, sicut præfertur, Ecclesiis æquè principaliter unitas, semper fieri debeat mentio prædictæ Ecclesiæ Pontis Curvi, seu Fregellarum, uti Concathedralis ejusdem Ecclesiæ Aquinatis: conditione tamen adjecta, quòd eveniente Sedis Episcopalis vacatione Capitulum Ecclesiæ Aquinatis, uti antiquius, inconsulto, & minime audito Capitulo dictæ Concathedralis Ecclesiæ Pontis Curvi, seu Fregellarum, ad electionem Vicarii Capitalaris procedere valeat, & qui ab eodem Capitulo Aquinate canonicè electus, & deputatus fuerit Vicarius Capitalaris, suam jurisdictionem etiam in Ecclesia Pontis Curvi, seu Fregellana, ut hætenus consuevit, exercere liberè possit: ea planè ratione, quam Nos observari decrevimus, atque mandavimus tam in electione Vicarii Capitalaris, quam etiam in omnibus aliis actibus consimilem Concathedralitatem respicientibus, cum nuper Ecclesiam Setinam declaravimus Cathedralē, & unitam à fel. rec. Honorio Papa III, æquè principaliter Ecclesiæ Terracinenfi, & quatenus post ejusmodi unionem Cathedralis esse desisset, vel nunquam Cathedralis extitisset, eam denudò in Cathedralē ereximus, eidemque Terracinenfi Ecclesiæ æquè principaliter in perpetuum univimus, quemadmodum in litteris Apostolicis hoc eodem anno Incarnationis Dominicæ 1725. tertio Kal. Maii à Nobis in simili forma sub plumbo desuper expeditis uberis continetur.

Cæterum, cum expositum Nobis fuerit Archipresbyterum, & Canonicos Cathedralis Ecclesiæ Aquinatis ex antiquo Apostolico privilegio omnibus Ecclesiasticis functionibus deferre solitos esse Rocchetum cum Cappa Magna; æquum verò, justumque arbitremur, ut inter illos, & Archipresbyterum, atque Canonicos Concathedralis Ecclesiæ Pontis Curvi, seu Fregellarum prædictæ nullum prorsus intercedat discrimen, sed utraque iisdem omnino Canonicalibus indumentis utantur; ipsis modernis, ac pro tempore existentibus Archipresbytero, & Canonicis ejusdem Ecclesiæ S. Bartholomæi Pontis Curvi, seu Fregellan. per alias nostras ab ipsis per Cancellariam, ut moris est, expediendas Literas Apostolicas benignè indulgebimus, ut Rocchetum, & Cappam Magnam eo prorsus modo, iisque temporibus, quibus prædicti Archipresbyter, & Canonici antiquæ Concathedralis Ecclesiæ Aquinatis ejusmodi indumenta gestare hætenus consueverunt, tam in eorum Ecclesia, quam in Capitulo, vel extrà, ac in Processionibus, etiam funeralibus, & aliis quibuscumque functionibus, postquam tamen Literas nostras Indulti ejusmodi per Cancellariam, ut præfertur, expediendas obli-

1725.

nuerint,

1725.

nuerint, & non ante, deferre possint & valeant.

Decernentes easdem praesentes Literas semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque, vel qualibet causa quantumvis legitima, & juridica, etiam ex eo quod Capitulum, Archiepiscopus, & Canonici dicte Ecclesiae Aquinatis, seu quicumque alii cuiuscumque dignitatis, gradus, & praeminentiae sint, in praemissis omnibus, & singulis, & circa ea quomodolibet, & ex quavis causa, ratione, actione, vel occasione jus, vel interesse habentes, seu habere praetendentes illis non consenserint, aut ad id vocati, & auditi, & causa, propter quas eadem praesentes emanaverint adductae, verificatae, & iustificatae non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vicio, seu intentionis nostrae, aut jus, vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, & inexcogitabili, ac specifica, & individua mentionem, ac expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitate, & quavis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione, vel causa, etiam in corpore juris clausa, occasione, aliave causa, etiam quantumvis iusta, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessarium exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra, & aliis superioribus expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel contrarium revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, apercitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet, etiam motu simili concessio, vel imperato, aut emanato uti, seu se juvare in iudicio, vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem Apostolicam praedictam, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ex quibuslibet causis, & sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam in eis de eisdem praesentibus, eorumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat, pro tempore factis, & concessis, ac faciendis, & concedendis, comprehendendi, sed tamquam ad majus bonum tendentes, semper & omnino ab illis excipi, & quoties illae emanabunt, toties in pristinum, & validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori data quocumque eligenda concessas esse, & fore; sicque, & non aliter in praemissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices Ordinarios, vel Delegatos, etiam Cautarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, V. Legatos, dicteque Sedis Nuncios, ac alios quoscumque quavis autoritate, potestate, prerogativa, & privilegio fungentes, ac honore, & praeminentia fulgentes, sublata eis, & eorum cuiuslibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, in quocumque iudicio, & in quacumque instantia iudicari, & definiti debere, & si secus super his a quoquam quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra Can-

cellariae Apostolicae regula de jure quae sit non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis, vel edendis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, universalibusque Conciliis editis specialibus, vel generalibus, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac praedictarum Ecclesiarum Aquinatis, & Pontis Curvi, seu Fregellarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus, & novis additionibus, styli, usus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & personis, ac locis quibuscumque, etiam specificis, & expressis, ac individua mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogationibus derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam motu pari, ac consistorialiter, aut aliis quomodolibet, etiam iteratis vicibus in contrarium praemissorum concessis, approbatis, confirmatis, & innovatis, etiam si in eis caveatur expresse, quod illis per quascumque Literas Apostolicas, etiam motu simili, pro tempore concessas, quascumque etiam derogationibus derogatorias in se continentes derogari non possit, neque censetur eis derogatum; quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & causas, etiam quantumvis praegnantis, pias, & privilegiatas praesentibus pro plene, & sufficienter, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, expressis, & specificatis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum omnium, & singulorum validissimum effectum hac vice dumtaxat latissime, & plenissime, ac sufficienter, necnon specialiter, & expresse, motu, scientia, & pietatis plenitudine similibus harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum erectionis, institutionis, unionis, concessionis, indulti, praecipi, mandati, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Laterani Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo vigesimo quinto, Nono Kalen. Julii Pontificatus nostri anno secundo.

M. Card. Prodararius. *F. Card. Oliverius.*

Visa de Curia J. C. Archiepisc. Amalensis.

Loco † Sigilli. L. Martinetti.

Registrata in Secretaria Brevium.

XIII. Quae Literae Apostolicae san. mem. Sixti V., Urbani VIII., & Innocentii XI., atque Decretum DD. Iudicum querelarum, & Controversarum Sacri Concilii Romani in favorem Abbatialis Ecclesiae, & Abbatis Sacri Monasterii Casinensis Ordinis S. Benedicti amplissime confirmantur; Necnon eandem Abbatialem Ecclesiam fuisse, & esse quasi Cathedralis, & Abbatii praedictae Jurisdictionem quasi Episcopalem in omnibus Diocesis Casinensis Ecclesiae competuisse, & competere declaratur; Ac insuper Capitulo, Clero, & Populo Oppidi, seu Civitatis S. Germani quoad novi Episcopatus erectionem, seu restitutionem, perpetuum silentium imponitur, cum aliis ordinationibus, & clausulis, atque derogationibus opportunis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Quod inscrutabilis Divinae Sapientiae, atque bonitatis altitudo humilitati nostrae, meritis licet,

1725.

9. Julii
1725.